



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Viator Christianvs Recta Ac Regia in coelum Via tendens

Soliloquium Animæ. Vallis Liliorum. De Tribus Tabernaculis. Gemitus & suspiria animæ pœnitentis, seu de Vera Compunctione Cordis. Cohortatio ad Spiritualem profectum

Thomas <von Kempen>

Coloniae Agrippinae, 1682

XXIX. De unione cordis cum Deo habenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53320)

ro, parum, vel nihil mihi prodesse sentio.

Aperi ergo cor meum in lege tua sancta; redde mihi lætitiã salutaris tui; dilata cor meum ad currendam viam tuam; confirma me in verbis tuis; quia non est, qui adjuvet, non est, qui præter te saluum faciat, & ad vitam æternam perducatur.

Exaudi me Deus meus, cum deprecor, cum tribulor, cum lætor, cum sanus sum. In omnibus me tibi commendo, & te in æternum benedico. Amen.

CAP. XXIX. *De unione cordis cum Deo habenda.*

Converte anima mea in Psal. 114.
requisiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.

Ipse enim est requies tua, & pax tua; ipse vita, salus & beatitudo tua. Igitur omnia opera bona, quæ facis, vides, & audis, semper ad laudem Dei referas, ut pacem & bonam conscientiam habeas.

Omnia ad Deum referenda.

Non in te, nec in alijs stes, nec

Illique
firmiter
adhæren-
dum.

maneas, nec exultes; sed in Deo solo pure, firmiter, & perfecte, qui dat omnia, & operatur omnia in omnibus pro sua magna bonitate, & in immensa clementia.

Quis mihi det talem gratiam, ut omnia ad laudem & honorem Domini Dei mei referam, & recte faciam, sicut teneor, & possum facere; & nulla res parva vel magna à Deo me retrahat, nec inficiat, nec conturbet, nec in aliquo impediat?

Sed fortè mihi non est possibile, ad hæc modo posse venire, Est tamen totum Deo possibile, qui animam devotam potest sibi per gratiam in amore cito unire.

Hoc au-
tem fit
per amo-
rem.

Cujus est
hominem
Deo uni-
re.

Deside-
rium hu-
jus unio-
nis.

Hoc enim perfectus & purus amor Dei, in momento facere potest, quotiescumque voluerit, ut omnibus oblitus, illi soli firmè perfecte unitus, & igne amoris ejus vehementer accensus & liquefactus.

2. O Deus meus, amor meus, in loco peregrinationis meæ, quando ero tibi totus unitus, cū

om-

omnibus animæ meæ viribus, à te mihi datis & gratiose infusis?

Sileat ante te omnis creatura tua, Deus meus. Tu solus mihi loquaris, ad sis, & illumines, qui es omnia in omnibus, & super omnia cœli luminaria æternaliter benedictus.

Felix anima, in hoc mundo desolata, à Deo consolata; ab hominibus ignorata, sanctis Angelis nota; à malis neglecta, à bonis requisita; à superbis despecta, ab humilibus dilecta; à secularibus separata, à spiritualibus congregata; à magnatibus derisa, à parvulis honorata; foris quasi mortua, intus semper viva; carne afflicta, spiritu læta; corpore debilis, mente fortis; vultu deformis, conscientia pulchra; labore fatigata, oratione roborata; onere pressa, solatio erecta; carne in mundo tenta, spiritu ad cœlum rapta, & Christo copulata.

3, Felix, qui Jesum, & Mariam, & omnes Angelos, & Sanctos Dei habet amicos in hac vita, duces in via; consules in dubio, do-

Felix anima Deo dilecta, quantumvis mundo neglecta.

Hominis pii & religiosi felicitas ex contubernio do-

doctores in studio ; lectores in mensa ; sodales in cella ; familiares in colloquio ; cantores in choro ; custodes in periculis ; adiutores in praelio ; defensores contra hostes ; intercessores pro peccatis ; subventores in extremis ; confortatores in agone ; advocatos in iudicio ; patronos coram Deo , susceptores in caelo .

vide quibus fruatur amicis, qui pro Christo Amicos, Parentes & omnia reliquit.

Sit tibi , religiose & devote frater , postquam reliquisti seculum , pro terrenis parentibus, Deus caeli Pater , Jesus frater, Virgo Maria mater, Angeli amici ; religiosi cognati ; omnes fideles propinqui ; senes avunculi ; iuvenes fratres ; conjuges matres ; virgines sorores ; pauperes nepotes ; peregrini consobrini ; mites & humiles consodales ; sobrii & casti commensales ; infirmi & debiles familiares ; afflicti & oppressi contubernales ; derisi & despecti multum amicabile ; omnes devoti honorabiles ; omnes mundum spernentes & Christo fervientes coharedes regni caelestis .

Hæc est generatio sancta, nobi-

bi-

bilisque progenies, ex Deo nata,
Deo placita, fide fundata, spe ro-
borata, charitate ornata, patien-
tia armata, igne probata, con-
stantia firma.

CAP. XXX. De vera pace in
solo Deo quaerenda.

PAx vobis. Ego sum, nolite ti-
mere. *Ioan. 21.*

In Christo Jesu tota salus, & Pax ani-
vera pax animæ consistit. Et qui mæ in
Christum diligit, habet pacem, Christo.

& in eo quiescit, nec ultra eum,
nec supra eum, quid quærere plus
affectat. *In malo-
rum to-
lerantia
pro Chri-
sto;*

Pax animæ fidelis in hac vita,
ferre multa adversa pro amore
Dei, & nomine Christi.

Decipitur & errat, qui aliter
sentit & cogitat. In vanum labo-
rat, qui Deum in omni facto suo
& cogitatu non præponit, nec
ipsum pure quærit & cupit.

Non est pax impiis, dicit Do-
minus: sed pax multa diligentibus
legem tuam Domine.

2. Pax, quam Christus docuit
& promisit, in profunda humili-
tate *In humili-
tate &*